



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lilivm Inter Spinax**

**Sterre, Jean Chrysostome van der**

**Antverpiæ, 1627**

Cap. LVI. Quòd prædixit mortem suam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

## CAPVT LVI.

*Quòd prædixit mortem suam.*

**F**ELICIS etiam resolutionis suæ tempus sibi non fuisse incognitum, ipse quibusdam patefecit indicijs, quæ breuiter explicamus. Circa idem tempus, quo de sepulturæ loco (sicut præmissimus) prophetauit, accessit ad quosdam de Fratibus, qui sibi maiori erant familiaritate coniuncti; & de quibus habuit fiduciam specialem, tam pro communicatione quorundam secretorum suorum, quàm pro singularitate deuotionis ad Deum. Nam de nullis Fratibus, qualis vitæ fuissent, vel essent, ipsum non dubito ignorasse. Accessit enim quadam die ad quemdam de Fratibus (cuius omnino notitiam habeo, sicut meipsum) qui in sæculo dies primæ iuuentutis exegerat, antequam Religionis habitum assumpsisset. cui dixit: Dignum est,

ORDINIS PRAEMONST. 183  
est, vt hunc Psalmi versiculum; Boni- <sup>Psal. 118.</sup>  
tatem fecisti cum seruo tuo; quoties  
cumque protuleris, magnam cordis  
deuotionem apponas. Quod cum ille  
non intelligens diceret, non solum il-  
lum versum, sed & sequentem, & om-  
nem Orationem cum magna deuo-  
tione dicendam; vt intentionem suam  
pleniùs declararet, & vt Fratrem ad  
cognitionem suimet, & ad agendas  
Deo gratias incitaret, subiecit: Est &  
alius alterius Psalmi versiculus, qui  
quoties à te cantatur, singulari debet  
intentione & deuotione cantari: Quia <sup>Psal. 85.</sup>  
misericordia tua magna est super me:  
& eruisti animam meam ex inferno  
inferiori. quasi diceret: Intellige, quòd  
hæc est Domini bonitas, quam tecum  
fecit; quia eruit animam tuam ex in-  
ferno inferiori, in quo iam eras per  
meritum culpæ, non per passionem  
pœnæ. Stupet adhuc Frater ille, vitam  
suam peccatricem, dignam supplicio  
inferioris inferni, beato viro reuela-

M 4 tam

tam fuisse, quam non ab homine poterat didicisse. Non ergo ad hunc, & sui similes, sed ad alios maioris innocentiae & deuotionis, imminente tempore suae resolutionis, accessit, & humiliter supplicans ait: Ecce, cuiusdam Sacerdotis, amici nostri, finis appropinquat: rogo vos propter Deum, ut illum orationibus vestris Domino commendare curetis. Quærentibus de persona, non aperuit quis esset; hoc solum ait: Quia citius per experientiam cognoscetis. Ecce Propheta magnus, de præteritis, præsentibus, & futuris. quod verum esse, si attentionem apponas, ô Lector, poteris inuenire. Et quidem tam præteritorum quàm futurorum ipsum habuisse notitiam, præsentis Capitulo declaratur; in quo & præteritam Fratris vitam peccatis obnoxiam cognouisse cognoscitur, & sui exitus horam & locum sepulturæ secundæ non ignorasse probatur. Præsentis quoque temporis, in his quæ  
 sibi

*Obitum  
 suum præ-  
 scit.*

ORDINIS PRAEMONST. 185  
sibi erant absentia, eum habuisse scientiam, illo \* Capitulo declaratur, vbi \* Cap. 47.  
praesentata sibi super Altare anima virginali, ipsius Virginis cognouit & praedicauit excessum.

## CAPVT LVII.

*De tentationibus eius.*

GRATI Deo & amabilis viri, non solum virtutes & gratias singulares, verum & tentationes & infirmitates, perfectiuias virtutum, ad consolationem tentatorum & infirmorum euoluere dignum duxi; vt dicti Apostolici, etiam in Fratre nostro, veritas comprobetur, quia diligētibus Deum Rom. 8.  
omnia cooperantur in bonum; & quod virtus in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12.  
Appropinquante igitur tēpore transitus sui, quo vocaretur ad Regnum is in quem verē aduenerat Dei Regnum; Lucæ 11.  
inconsuetis illum tentationibus Dominus titillauit, quas antè per experien-  
M 5 rien-

*Sub mortē  
insolitis affligitur tē-  
tationibus.*